



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Controversia III. De forma substantiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

quae non possit vniri alicui, ex his quae de facto existunt, & quae vnica tantum formae possit vniri, quia non est de ratione materiae indifferentia ad plures formas, vt probauit Punct. 3. quae omnes materiae specie differunt propter diuersos actus, quos respiciunt, & propter praedicatum, per quod vna ab alia notabiliter differet, quod passet esse multis commune.

Similiter affirmo posse dari duplicem materiam respicientem easdem numero formas, quarum vna illas respiceret tantum potentia terminatiua vnionis, tanquam extrema, quibus posset vniri ad tota componenda, alia vero tanquam extrema quibus posset vniri, & quae possent ex illa educi, quia vt dicam lib. 3. Controuer. 13. Punct. 3. non repugnat forma indifferens ex natura sua, vt creetur, vel educatur: ergo non repugnat forma, quae possit per creationem producta vniri huic materiae, vel educta ex altera vniri: ergo non repugnat dari duplicem materiam respicientem easdem formas, vnam media vnione, & receptione, alteram tantum media vnione. Affirmo insuper has materias inter se specie distinguendas per diuersos actus immediatos, scilicet per diuersas vniones specie distinctas, quibus easdem formas respiceret, sicuti distinguuntur specie in communi sententia visionis hominis, & equi, circa eundem colorem per diuersa specie principia, sic similiter vniones illae distinguerentur per diuersas specie materias, a quibus specificationem diuersam haberent, quia vnio specificatur non solum a forma, sed etiam a materia. Sed in materiis, quarum vna potest recipere, & vnire sibi formas, haec notabiliter differt ab alia, quae tantum potest easdem formas sibi vnire, & per praedicatum, quod potest esse commune multis materiis: ergo specie differt ab illa, & diuersos actus, hoc est, diuersas vniones, valet quasi a priori specificare. Dixi saepe specificationem vnionis a materia itaque, ab extremo, esse quasi a priori, quia non est a vera causa, quae tantum specificationem a priori dat.

Obiic. nos committere vitiosum circulum, quia sumimus specificationem diuersam materiae ex diuersis actibus, specificationem diuersam actuum ex diuersa materia, vnde idem per idem explicamus. Respondeo nos probare specificationem diuersam actuum ex diuersitate materiae, quasi a priori, & dicere materiam a posteriori specificari ex diuersis actibus, quod non probamus ex eo quod actus sint diuersi, sed ex alio capite, scilicet ex eo quod materia habeat virtutem recipiendi formam, quam non habet alia, ex quo absolute inferimus diuersitatem materiarum inter se, & specificam distinctionem specierum, ex quo postea quasi a priori specificationem diuersam actuum respiciamus, & dicimus materiam a posteriori specificari, ab his actibus, quos a priori probauimus distinctionem specificam ex materiis habituros. Ob hanc rationem dixi n. 2. vniones distinguendas esse per ordinem ad formas, in ordine ad cognoscendam distinctionem specificam materiae; quando vero iam ex alio capite nobis innoteceat distinctio specifica materiae, possumus per ordinem ad materiam specie distinctam vnionem distinguere, & asserere ab his vnionibus specie distinctis quasi a priori ex diuersitate materiae aliunde nota a posteriori materiam diuersam specificari, quod in nostro casu contingit.

Omni materiam primam sublanarem, quae de facto datur esse eiusdem speciei probabiliter affirmo cum communi sententia, quia quaecumque materia aequae potest sibi vnire, & recipere omnes formas, quas potest alia: ergo nullum est caput, ex quo possit conici praedicatum aliquod specificum non omnibus commune in materiis, quae de facto existunt, cum omnes similes appareant in virtute vnitiua, & receptiua formarum tam substantialium quam accidentalium. Antecedens satis probabiliter suadet experientia, qua videmus eandem materiam modo sub hac forma modo sub illa esse, & nunquam videmus materiam aliquam, quae formam aliam in particulari recuset, neque quae renuat admittere dispositiones ad illam, quas non reciperet si illius receptiua non esset, quia dispositionum receptio ad formam substantialem ordinatur. Quod si in materia semel informata auri vel adamantis, aliarum rerum formis, quas incorruptibiles vulgo dicimus, diffisile, esto nunquam, formam aliam recipiat, eadem materia anteaquam esset cum tali forma, plures alias admisit, ex quo inferitur, non ex defectu capacitatis illas modo respicere. Si istes forsitan esse aliquam materiam,

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. 1.

quam nos non experti sumus, incapacem recipiendi formas, quas recipit alia materia illico existens. Dicam me non posse oppositum demonstrare, sed satis probabiliter suaderi, talem materiam non existere, ex eo quod nullum illius vestigium inueniamus, neque ratio aliqua, aut coniectura nobis suppetat ad asserendum talem materiam existere, & experientia oppositum monstrat in omnibus materiis, quas hucusque vidimus.

Obiic. Materia prima est imperfectissimum ex suo conceptu: ergo non potest dari alia materia specie distincta ab hac, quia si esset perfectior ista, non esset imperfectissimum ens, & ita non esset materia: si esset imperfectior, haec materia, quae modo est, non esset imperfectissimum ens, & consequenter non haberet rationem materiae, quam simul haberet, quia iam supponimus esse materiam; aequae imperfecta cum ista esse non potest, quia repugnant duae species perfectione, aut imperfectione aequales. Respondeo quidquid sit de aequalitate possibili inter duo specie distincta, materiam primam non esse imperfectissimum omnium entium, quia accidentia sunt illa imperfectiora. Est tamen imperfectissimum ens substantiale saltem non modale praecise ex conceptu materiae, quia materia essentialiter est imperfectior forma, iuxta dicta de illius essentia, & imperfectior toto, quod supra illam includit formam. Ex hoc tamen non inferri, dari non posse materiam imperfectiorem alia, dum omnium perfectissima non attingat perfectionem imperfectioris formae quam potest recipere. Non enim est de ratione huius materiae primae esse ita imperfectam vt non possit alia materia imperfectior dari, sed tantum est de ratione totius materiae esse ens imperfectissimum comparatum cum formis, quibus potest vniri, & cum totis, quae potest componere.

Dubitabis an materia prima sit receptiua aliquarum formarum praeter eas, quas de facto Deus hucusque produxit, & aliquando producat immediate, vel mediis aliis causis secundis, vel possit recipere existentes, vel exituras, & nullam aliam specie distinctam, ex his, quas Deus potuit creare, & nunquam sunt creanda. Ad hanc quaestionem recte responderi Arriaga disp. 2. sect. 9 sub. 2. Deum potuisse creare materiam, quae esset receptiua harum, quae de facto dantur, & simul aliarum pure possibilium, & quae tantum harum esset receptiua, & nos non posse certo scire, quam illarum creauerit; probabilius tamen posse dici tantum creasse materiam receptiuam formarum aliquando existentium & non pure possibilium. Quia cum Deus sciret, quas formas erat producturus, magis congruum videtur illis tantum materiam creasse, & non aliis nunquam futuris, esset enim absque vlla necessitate in rerum natura virtus receptiua speciei formae, cuius nulla indiuidua forma esset exitura. Non ago de distinctione vel unitate specifica inter materiam primam, & sublanarem de qua Controuer. de coelo.



CONTROVERSIA III.

De forma substantiali.



ONTROVERSIA secundâ nonnulla de forma praelibauit, reliqua in praesenti peragam.

PUNCTVM PRIMVM.

Existencia formae substantialis statuitur.

Natura formae substantialis plerisque ex Antiquioribus latuit Philosophos, alij ex posterioribus illas in elementis non agnoscebant, omnes denique totit erant in natura materiae explicanda, & naturam formae quam vix expiscabantur, tanquam quid ignotum omitebant; quos saepe reprehendit Arist. toto lib. 1. physicorum, & lib. 2. cap. 1. vbi formam perfectiorem naturam dicit esse quam materiam. Idem tenet lib. 1. de parte animal. 1. cap. & lib. 7. Metaph. c. 4. & lib. 12. cap. 2. vbi vocat formam hoc aliquid. & lib. 7. quod quia est rei, hoc est, quod tribuit vltimâ quidditatem, vltimum constitutum, vltimique praedicatum essentiali.

essentiale composito; aliisque innumeris in locis dari formam substantialem in omni composito docet tanquam verum, & tanquam quid certum statuit.

2. Prima ratio huius Conclusionis petenda est ex nostro rationali animo, quem esse formam informantem, & existentem est fide sanctum, ut ostendam Controversi. 1. de anima Punct. 3. & ratio ipsa conuincit à posteriori desumpta ex illius immobilitate, ex merito & demerito voluntatis, ex libertate illius, ex actibus intellectus & voluntatis, reliquarumque potentiarum, quæ omnia accidenti competere repugnant, ut ipso naturæ lumine notum est: ex nostro animo rationali gradum facimus ad reliqua viuientia præcipue sensitua, in quibus plures operationes inuenimus similes aliquibus, quas exercent ratione animæ, illas videlicet, quæ correspondent gradui viuientis, in quo conueniunt, sensationes videlicet in viuientibus sensituius, & modus se nutriendi in vegetatiuis: ergo datur aliquod principium radicale ex quo oriuntur hæc oppositiones similes rationali secundum illam rationem, in qua conuenit cum illo: ergo sicut in homine principium sentiendi est substantia, ita in equo erit similiter substantia.

3. Vniuersalius ex eadem operationum similitudine, probò dari principium aliquod radicale, quod sit substantia: In omnibus compositis eiusdem speciei, siue viuientibus, siue non viuientibus dantur accidentia similia, in quorum productionem, & conseruationem propendet compositum: Sed hæc propensio non est propria materiæ, quæ ex se est indifferens, ut habeat hæc vel illa accidentia: ergo oritur ex alio principio constitutio compositi, cuius propria sunt hæc accidentia; hoc non esse accidens, sed substantiam, sic probò. Quando aqua amittit frigiditatem, & quodlibet aliud compositum quancumque ex primis qualitatibus illi innatam eo ipso quod absit contrarium, statim se restituit in pristinam qualitatem: ergo hæc qualitas oritur ab alio principio distincto à qualitatibus, quæ non possunt se inuicem producere; frigiditas enim amissa non potest ab alia qualitate specie distincta produci, neque potest intentio frigiditatis amissæ produci ab aliis gradibus frigiditatis in eodem subiecto permanentibus, quia si lignum vel aliud compositum amittat gradum aliquem frigiditatis non debet: etiam si alij plurimi permaneant in eodem ligno, non recuperat gradum frigiditatis amissæ: ergo hæc restauratio non fit à frigiditate superstitente, sed à forma alia substantiali; quia si fieret à frigiditate, in illo composito citius fieret, in quo maior frigiditas formalis permaneret, quod non ita fieri oculis cernitur.

4. Rursus hæc accidentia, quæ semper comitantur compositum huius speciei vel sunt connexa ipsa inter se sine aliquo ordine prioris, & posterioris, vel in aliqua prima radice: non ipsa inter se, quia in equo datur visio similis visioni hominis; & in homine connectitur cum actibus & potentiis, cum quibus in equo non connectitur, deinde quia hæc connexio ut probatum est exemplo aquæ restituentis se in pristinam frigiditatem; est ratione alicuius principij actiui in pluribus accidentibus, quæ sibi non possunt esse inuicem causæ: ergo est in aliqua radice ex qua oriatur: ergo illa erit primus actus materiæ, & quæ primò & per se ordinatur ad constituendum compositum, quod ad illam non supponitur, & reliqua eorum in ordine ad illam, quam ex natura sua tanquam ipsorum radicem supponunt. Probo consequentiam, ex constitutiuo substantiæ quod est non ordinari ad aliud, quod supponatur ad ipsum & esse id, ad quod reliqua ordinantur, quod dicimus esse ens per se, hoc est propter se intentum à natura: sed illa radix communis accidentium, quæ semper comitatur hoc specie compositum, est per se modò explicato: ergo est substantia.

5. Vltimò ostendo compositum per generationem formam substantialem acquirere ex diuersitate mutationum, quas experimur eandem materiam subire. Ferrum candens est si intensissimum calorem in se concipiat, ut primum separatur agens, à quo calor ille fuit productus, paulatim intensionem caloris amittit, & breuiter temperamento debito se restituit. Ignis quando in cineres redigitur nunquam potest temperamentum amissum, iterum acquirere, neque ad antiquas qualitates redire: ergo diuersam subit mutationem materia ignis, & materia ferri, quando videmus ignem candentem, & ignem in cineres redactum; quæ diuersitas ea est, ut materia ignis candentis solum in accidentibus alterationem passa est, & permanens cum eadem

forma substantiali, quantumuis accidentia perdantur, principium retinet, quod similia accidentia in illa producet, abscedente contrario, à quo fuerunt corrupta; materia verò ignis redacti in cineres formam substantialem amittit, & nullum in illa remanet principium, ex quo similia accidentia antiquis deperditis rursus oriuntur. Hæc & alia plurima latè, doctè & solidè expendit Noster. Soar. disp. 15. sect. 1. Hæc sufficiant pro re iam iuxta omnes Doctores extra omne dubium stabilita.

PUNCTUM II.

Quotuplex sit forma in vnoquoque composito.

S. I.

Status questionis & Doctorum placita.

1. **N**on disquiro modò an eadem materia plures substantiales formas possit recipere supernaturaliter, de quo dicam Controversi. 8. Puncto 2. sed an materia habeat duas formas inter se connexas, & subordinatas in ordine ad naturalem constitutionem vnius compositi, ita ut altera demptæ, etiam si alia superfit in materia compositum simpliciter & adæquate non sit constitutum.

2. P. Soar. 1. Metaph. disp. 15. sect. 10. plures de hac re opinionnes refert. Sensere Paulus Venetus, & Henric. de Gandauo citati apud Suarez num. 4. tot dari formas realiter distinctas in quocumque composito, quot dantur gradus metaphysici, & prædicata essentialia formaliter distincta in quocumque composito. Scotus, & Henriquez apud eundem Soar. num. 8. formam quandam corporeitatis in viuientibus constituunt. Scotus illam in omni viuienti agnouit, Henricus tantum in homine hanc corporeitatis formam inuenit. Alij apud eundem Soar. num. 17. distinguunt formas secundum diuersos substantiæ gradus. Sunt autem quatuor gradus substantiarum materialium, alia est substantia inanimata, alia vegetabilis, alia sensitua, alia rationalis. Substantia inanimata secundum hanc sententiam vnicà tantum gaudet formà: Vegetabilis duabus potitur: Sensitiua tres continet formas; Rationalis quatuor includit. Multi ex antiquis Philosophis pro diuersis partibus heterogeneis viuientibus partiales formas distinctas constituiebant superadditas; alij formas per totum corpus dispersas. Ex Medicis tenent nonnulli cum Galeno, & Auicenna, in quolibet mixto formas elementorum formaliter manere. Communis Theologorum & Philosophorum sententia vnicam tantum formam in vnoquoque composito siue inanimato, siue animato constituit. Ita D. Th. 1. p. q. 76. art. 4. & alij plurimi apud Suar. n. 62. quam idem Suar. latè propugnat ibid. & disp. 13. sect. 3. & lib. 1. de anima cap. 6.

3. De Medicorum sententia afferentium, formas elementorum manere formaliter in mixto, iudicium feram Contr. 7. de generatione, Punct. 4. vbi specialiter illam exagitabo. De sententia constituyente diuersas formas partiales superadditas pro partibus heterogeneis dicam Contr. 1. de anima, Punct. 7. Nunc de aliis sententiis iudicium fero.

S. II.

Duplex reicitur sententia.

4. **P**rimo loco reicienda est sententia, quæ formas multiplicat pro multitudine prædicatorum essentialium ex his quæ diximus in Logica, vbi probauimus prædicata essentialia non distingui distinctione reali, sed tantum per rationem, ex quo inferunt rationes formales prædicatorum non distingui per formas realiter distinctas, alias realiter, & non solum formaliter distinguerentur. Secundò, si formæ multiplicandæ essent secundum diuersa prædicata formaliter distincta, necessum esset non solum in compositis, sed etiam in formis accidentalibus in Angelo & in materia prima formalitates realiter distinctas constituere, quia in his entitatibus reperiuntur prædicata essentialia formaliter distincta, generica, specifica & individualia, quibus formalitates, seu entitates realiter distinctæ correlponderent sicuti in toto composito secundum hanc sententià correspondent. Vltimò eadem entitas indiuisibilis secundum diuersas cōuenientias, & secundum diuersos effectus,

effectus, quos potest producere, diuersas per intellectum formalitates sortitur: ergo non multiplicatur realiter forma secundum diuersas formalitates, quas intellectus distinguit.

5 Fundamentum huius sententiae desumptum erat ex Aristotele 7. Metaphys. cap. 10. afferente partibus definitionis correspondere partes rei. Hoc nullius est momenti, intelligendus est enim Aristoteles de partibus, non physicis, sed metaphysicis ab ipso intellectu definiente distinctis. Alio modo potest explicari testimonium Aristotelis de definitione data per partes physicas compositi. Aliud testimonium adducitur pro eadem sententia ex eodem Philosopho dicente 2. Metaphys. cap. 2. in formis substantialibus non dari processum in infinitum, quia non datur in conceptibus quidditatiuis. Non maioris est negotij hoc testimonium dissoluere, quam primum; recta enim est illatio Aristotelis: conceptus quidditatiui non sunt infiniti; ergo neque formae, quia his multiplicatis non possunt illi non multiplicari, non tamen ideo tenet opposita consequentia: formae non multiplicantur: ergo neque conceptus, & ideo non recte arguitur, neque a priori, neque a posteriori conceptus quidditatiui multiplicatur: ergo multiplicatur forma.

6 Accedo ad formam corporeitatis quam multis reiecit Suarez locis citatis, sed ex nullo capite efficacius reiecitur, quam ex solutione, & impugnatione illorum, quae ad illam constituendam adducunt Scotus, & Henric. illis enim destructis non esse admittendam talem formam clare constabit, non enim licet absque probabili ratione liberè formas absque vilo fundamento comminisci. Scoti & Henrici fundamenta expendo.

7 Exiliat Scotus formam hanc necessariam esse in viuentibus, quia anima est actus corporis physici & organici: ergo anima, quae est forma viuentis supponit iam corpus organicum: ergo supponit materiam primam cum forma corporeitatis, quia materia prima nudè sumpta organica non est. Ostendam Controu. de anima, Punct. 1. ly *corporeis* in definitione positum posse significare totum compositum constitutum per ipsam animam: cuius anima dicitur actus constitutus, iuxta quam expositionem anima dici potest actus corporis deorganizati per ipsam animam illud constituentem viuens, & organicum, si verò ly *corporeis* non totum compositum, sed materiam primam significet, dicendum est, hanc supponi organicam ad formam per deorganizationem accidentalem, quae constituit in quantitate cum hoc temperamento qualitatum diuerso pro diuersis partibus viuentibus siue intrinsecè, siue tantum extrinsecè heterogeneis pro diuersis partibus viuentis per ipsam animam constituendi.

8 Secundo, & praecipue motus est Scotus argumento à posteriori sic confecto. Quando in morte animalis recedit anima, non statim introducit alia forma: ergo necessum est materiam primam retinere residuum aliam formam, ne maneat absque omni forma: recedente animà non introduci aliam formam, sic probat. Si introduceretur alia forma esset diuersa secundum diuersas dispositiones, quae succedunt dispositionibus viuentis; sed videmus non ita contingere, sed semper idem cadauer cum eisdem accidentibus permanere: ergo non introducit alia forma statim vt decedit anima. Argumentum ad hominem in Scotum retorqueo. Scotus ipse fatetur, materiam manere cum forma corporeitatis adhuc incompletam, quia forma corporeitatis non dat materiam esse completum, aliàs anima illi superaddita non potuisset constituere vnum per se, sed vnum per accidens, quia quidquid enti completo superadditur, vnum per se constituere nequit, quia per accidens illi inest, & ita vnum per accidens constituere necessum est: ergo poterit dici manere adhuc absque illa forma corporeitatis absque vilo, vel saltem absque nouo inconuenienti. Probo consequentiam. Non minus ordinatur in tua sententia ad constituendum compositum cum anima superuentura materia cum corporeitatis forma, quam in mea sententia materia sine aliqua substantiali forma: sed in tua sententia inconueniens non est materiam cum forma corporeitatis incompletam permanere sine alia forma, ad quam essentialiter ordinatur: ergo neque in mea sententia erit absurdum materiam nudam omni formà substantiali incompletam permanere sine forma ad quam ordinatur. Ad argumentum Scoti respondendum est nunquam recedere animam sine noua forma cadaueris adueniente.

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1.

An verò forma cadaueris sit specialis forma, quae semper formis viuentibus succedat, vel eadem semper in specie pro cadaueribus succedentibus viuentibus eiusdem speciei, vel an quaecumque forma, quae viuenti succedit cadaueri appelletur dum illius materia remanet cum illa figura externa, quam habebat viuens, parum ad praesentem quaestionem attinet, & vtrumque probabiliter dici potest. Afferat Suarez num. 16. Ego probabilis censeo, formam cadaueris non esse specialem, aliquam formam, sed omnem formam immediatè succedentem viuenti dici cadauericam, dum illius figuram externam materia retinet, quam habebat in viuenti. Quod si semper eadem appareat, ideo est, quia quod praecipue sensibus sentimus in cadauere, sunt accidentia, quae remanent ex praecedenti forma, quae neque ab illa in conseruari dependebant, neque cum cadauerica opponuntur, & ita remanent in composito quovisque ab aliquo extrinseco agente corrumpantur. Si quis defendere velit dari specialem formam cadaueris eiusdem rationis in omnibus compositis, quae succedunt viuentibus eiusdem speciei, dicere tenetur in his omnibus occurrere semper aliqua accidentia, tum ex his, quae remanent ex forma viuentis, tum ex aliis aduenientibus, eadem semper in omni corruptione viuentium eiusdem speciei, quae ad specialem formam cadauericam disponunt, licet alia simul his adiungantur, quae necessaria non sunt ad illam specialem formam introducendam, conducunt tamen ad expulsionem dispositionum formae viuentis, & consequenter ad huius corruptionem, si corruptio viuentis ex defectu dispositionum praecise contingat, licet ego aliter sentiam. Neque refert dispositiones semper intendere disponere ad aliam formam & non praecise hanc corrumpere, quia bene possunt illa accidentia intendere introductionem formae, quam non consequuntur, quia defunt alia, & deest temperamentum adequatum formae ad quam ordinantur, & illa sufficiunt ad expellendas dispositiones requisitas ad conseruandam formam viuentis. Iterum assero me loqui in opinione, quae asserit formam in conseruari, dependere à dispositionibus, quod ego non sentio, & ita iuxta mea principia dicam, illa accidentia, quae non conducunt ad introductionem nouae formae, quantumuis expellant dispositiones antiquae non conducere ad illius corruptionem.

Tertio arguit Scotus: Dicit nequit corpus hominis mortui esse specie diuersum à corpore eiusdem hominis viuentis: sed necessarid dicendum est idem, non solum in specie, sed etiam numero: ergo habet eandem omnino formam. Non animam: ergo formam corporeitatis. Antecedens probat Scotus: si non esset idem corpus in homine emortuo, & viuo, non iacuisset in sepulchro idem corpus Christi, quod fuit in Christo viuente, quod dici nefas est. Respondeo in homine viuente & mortuo esse eandem materiam cum eadem deorganizatione figurae externae, quam materiam sic organicam corpus appellamus, & ratione illius dicimus esse idem corpus in mortuo, & viuente. Si verò sermo sit de corpore completo constituto ex materia, & forma, verum non est dicere esse idem corpus in cadauere, & in viuente, neque in hoc sensu dicitur permanere in sacrosancto Christi cadauere idem corpus, quod ante praecessit, & modò est in Christo viuente.

Quarto argumentatur: Homo est corporeus non ratione animae rationalis, quae est spiritalis: ergo ratione aliàs formae corporeitatis: vulgaris solutio est, hominem esse corporeum ratione animae rationalis, quia etiam sit spiritalis *vt quod*, est corporea, *vt quo*. Non teneo: Animam esse corpoream, *vt quo*, nihil aliud esse potest, quam constituere totum corporeum; in se enim nihil habet corporeitatis formaliter, & cum distinguas formaliter *vt quo*, nihil aliud dicis, quam animam spiritualem esse id, quo constituitur corpus, quod aduersarij sic impugnant: Nihil spirituale potest esse constitutum corporei: sed anima rationalis est spiritalis, *vt quod*, quod est esse simpliciter secundum suam entitatem & rationem intrinsecam spiritualem: ergo non potest esse corporea *vt quo*. Vergeo, esse corpoream *vt quo*, & esse id, quo constituitur corpus, & esse constitutum corporei, formaliter non distinguuntur: ergo conclusionem ipsam reddis pro ratione, cum dicis animam spiritualem *vt quod* esse constitutum hominis corporei, quia est corporea, *vt quo*. Recurrunt alij ad informationem, & asserunt animam rationalem constituere formaliter corpus, quia etiam sit forma

O 2 spiritalis,

spiritualis, informat mediâ informatione corporeâ, & ita informat modo corporeo, & corpus constituit. Non placet solutio, quia multi censent modum vniionis subiectari in anima, & esse spirituale, vel dari duplicem modum quemdam ex parte materiæ, & alterum ex parte animæ, & hunc esse spirituale, & informationem animæ: quod si verum non sit, saltem non repugnat compositum ex materia & anima rationali vnitum mediâ vniione spirituali, quod non spirituale, sed corporeum diceretur, etiam si informatio formæ spiritualis esset spiritualis.

11 Facilius respondeo, non omnia prædicata, quæ sunt in toto, formaliter participare ratione vtriusque partis, sed plurima ratione alterius tantum, etiam si de toto prædicentur: patet in prædicato intellectui; dicimus enim, homo est intellectuius, & potentia intelligendi tantum illi formaliter competit ratione animæ, licet totum denominet compositum. Eadem ratione prædicatum corporei de toto homine dicitur, & totus homo dicitur corporeus, etiam si ratione vnius tantum partis corporeitatis rationem participiet, & non ratione alterius. Instant aduersarij. Homo est adequatè corporeus: ergo corporeitate adequatâ, sed materia prima est entitas inadequata habens corporeitatem inadequatam identificatam secum: ergo homo habet distinctam corporeitatem à corporeitate materiæ. Retorqueo argumentum: quæcumque sit illa forma, quam aduersarij inueniunt, vt compositum corporeum constituat, est entitas inadequata: ergo illius corporeitas est inadequata: ergo non potest constituere compositum adequatè corporeum. Respondeo distinguendo antecedens: homo est adequatè corporeus, quoad denominationem, id est, totus homo adequatè sumptus, denominatur corporeus, concedo antecedens: est adequatè corporeus secundum totam entitatem adequatam, quâ secundum omne illud, quod formaliter dicit, sit corporeus, nego antecedens, quia homo formaliter dicit animâ, quæ corporea non est: deinde nego consequentiam, quia corporeitate inadequata totum adequatè dicitur corporeum, vel distinguo maioris claritatis gratiâ. Homo est corporeus corporeitate adequatâ, hoc est, totâ corporeitate, quam potest includere, concedo: Corporeitate, quæ in se sit entitas adequata nego. Eodem enim modo, quo dicitur rationalis rationalitate animæ, quæ est entitas inadequata, & est tota rationalitas, quâ denominatur totus homo adequatè rationalis, est corporeus corporeitate materiæ, quæ est entitas inadequata, & totum hominem denominat corporeum, etiam si ex duabus partibus essentialibus; quas includit vna tantum sit corporea, & spiritualis alia.

12 Dices, homo includit essentialiter materiam, & formâ; hæc, quæ præcipua pars illius est, formaliter est spiritualis: illa, quæ est pars minus præcipua, materialis: informatio in probabili sententia spiritualis est, ac per nos non est alia ratio propter quam homo corporeus dici debeat: ergo potiori ratione totus homo debet denominari spiritualis ratione partis formalis principalioris, quam corporeus, ratione partis materialis minus principalis: cur enim materialis pars totum poterit denominare corporeum, quia ipsa est corporea, & pars formalis non poterit idem totum spirituale denominare, cum ipsa spiritualis sit, & quæ præcipue illud constituit? Respondeo materiam vnitam animæ spirituali communicare animæ saltem extrinsecè rationem corporis, quam in se habet, animam verò non communicare materiæ adhuc extrinsecè rationem spirituales, & ita potest denominari corporea anima in toto, cum dicimus homo est corporeus, etiam si ipsa anima spiritualis sit, & materia non potest adhuc in toto spiritualis denominari, nec homo absolute spiritualis dici potest. Materiam communicare extrinsecè animæ rationem corporeitatis mediâ vniione, probô, & explico. Ratio corporis dicit impenetrabilitatem cum alio corpore à se distincto, & ratio spiritus dicit penetrabilitatem cum alio quocumque corpore, & entitate eiusdem rationis cum ipsa, vt probabo latè Controuers. de anima, Puncto 5. sed materia eo ipso, quod vniatur animæ mediâ vniione, illam constituit extrinsecè impenetrabilem cum alio corpore distincto ab illo, cui vniatur, quia anima Petri dum est vnita illius materiæ non potest penetrari cum ligno: ergo materia aliquo modo communicat rationem corporis, quam habet, animæ, quam impenetrabilem constituit cum alio corpore, & cum alia anima vnita alij materiæ. Ani-

ma verò etiam si materiæ vniatur, non illam constituit penetrabilem cum aliqua entitate, cum qua antea non posset penetrari, & ita neque extrinsecè illam penetrabilem constituit, neque illi rationem spiritualitatis communicat.

13 Vltimò arguit Henr. Animata dicuntur constare corpore, & animâ, inanimata non dicuntur constare corpore, & formâ: ergo in animatis datur aliqua forma corporeitatis efficiens materiam ab anima distincta, quæ non datur in inanimatis, quæ non dicuntur constare corpore non includente animam. Respondeo animata dici constare corpore, & animâ, quia constant materiâ organicâ per temperamentum heterogeneum qualitatum, quæ materia, ita disposita dicitur corpus, ad distinctionem materiæ non organicæ: inanimata non dicuntur constare corpore & formâ, idem enim sonat in viuientibus, constare corpore, & animâ, ac constare materiâ organicâ & formâ.

§. III.

Reijcitur multiplicitas formarum in viuientibus, & vera statuitur sententia.

14 Eui operâ potuimus destruere fundamenta omnia, quibus forma corporeitatis à suis patronis propugnabatur, sed neque hac indigebimus, vt nos expediamus à sententia, quæ secundum gradus diuersos viuientis distinctas formas constituerebat; nullum est enim neque leue argumentum, præter illud quod adducit Ocham quodlibeto 2. quæst. 10. petium ex diuersitate, & oppositione operationum quod nullius esse momenti clarè constabit. Accedunt rationes aliæ, quæ difficiliorem reddunt hæc formarum multiplicitem in animatis, quæ iam expendo.

15 In equo forma vegetatiua, non est realiter ratio aliqua communis, sed contracta ad certam & determinatam speciem; ergo contrahitur per differentiam specificam secum identificatam. Antecedens neque illario aliquâ indiget confirmatione; procedit argumentum. Ratio specifica contrahens animam vegetatiuam equi, vel dicit rationem animæ sensitiuæ, vel clauditur intra rationem vegetatiuæ, sicuti ratio animæ vegetatiuæ, quæ est in arbore, si contrahitur per rationem animæ sensitiuæ, eadem forma vegetatiua realiter erit sensitiua, quia ratio, quæ contrahitur, & ratio contrahens realiter sunt idem. Si contrahitur intra rationem animæ vegetatiuæ: ergo sicuti materia arboris est sufficienter informata formâ arboris, quæ tantum est vegetatiua, & cum illa constituit totum compositum adequatum, ita materia, quæ est sub forma equi, erit sufficienter informata per animam vegetatiuam, seu per formam, quæ est principium vegetandi, & cum illa totum adequatum constituit, ergo non poterit postea informari formâ sensitiuâ, vel si illa informetur, hæc supponet iam totum vegetatiuum simile arbori iam adequatè constitutum, & ita non poterit vnum per se constituere, quia forma quæ superuenit toti adequato non potest cum illo vnum per se, sed vnum per accidens constituere. Idem dico de forma rationali superuenienti composito sensitiuo. Rursus à posteriori probatur in homine idem principium indiuisibile concurrere ad operationes vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi, & consequenter per eandem formam constitui vegetatiuum, sensitiuum, & rationale. Ex nimia attentione intellectiui animæ impeditur operatio sensitiuæ, & nutritiua: ergo hæ operationes proveniunt ab eodem principio, ergo ab eadem anima: patet consequentia. Ex eo quod hoc principium intentum sit in sua operatione exercenda, nullum habet impedimentum ad operandum principium aliud ab hoc distinctum: ergo quando virtus operatiua huius actionis impeditur alia actione, ambæ ab eadem virtute indiuisibili proveniunt.

16 Vltimò in homine non dari animam sensitiuam à rationali distinctam, ab inconuenienti Theologico probatur: quia, si in Christo fuit duplex anima sensitiua, & rationalis, dum rationalis amisit vniionem cum corpore in triduo mortis, sensitiua vel permansit vnita materiæ, vel fuit corrupta, vel simul fuit separata cum rationali: dicere permansisse vnitam materiæ, hæreticum est, quia sequeretur Christum non fuisse mortuum, siquidem illius corpus permansisset cum anima sensitiua: dicere fuisse corruptam, rursum

tutum non est, quia sequeretur in morte Christi Verbum reliquisse aliquam partem essentiali Christi, cui principaliter primo & perfecte fuerat unitum. Si dicatur permanisse separatam miraculum inaudibile fingitur, scilicet materialis formam absque subiecto fuisse conferuatam, & in re gravissima absque fundamento contra sententiam Patrum, dicitur duas Christi animas in triduo esse separatas. Hanc multiplicitem animarum in Christo esse contra Patrum sententiam, & sensum Ecclesie constabit ex testimoniis quae iam subiicio. S. Augustinus lib. 83. quaestionum, inter contra Apollinarem ipsum asserentem Verbum assumpsisse animam sensitivam sine naturali dixisse re ipsa Verbum assumpsisse quandam buellam: ergo sensit animam sensitivam distinctam a rationali simul cum materia bellam constituit: ergo ex mente Augustini non potest anima rationalis cum alia sensitiva distincta bellam constituite, hominem constituit, quia ex bellam, & rationali anima non potest constitui totum simpliciter & perfecte: quod est homo. Vltimo constat hanc veritatem ex Synodo Constantinopolitana IV. can. 11. ubi sic scribitur: *Apparet quidam in tantum impietatis venisse, ut homines duas animas habere dogmatizent: talis igitur impietatis inmentores, & similia sapientes, cum vetus, & novum Testamentum, omnesque Patres unam animam rationalem hominem habere assererent, sancta & vniuersalis Synodus anathematizat.* Et in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, eadem veritas iam ut dogma Catholicum traditur, verbis adeo expressis, ut nullam possint pati interpretatione de duabus animis rationalibus, sic habentur cap. 5. *Neque duas animas esse dicimus in uno homine sicut Iacobus & alij Sanctorum scribunt: unam animalem, quo animetur corpus, & immixta sit sanguini, & alteram spirituales, quae rationem ministret, sed dicimus unam esse, eamque animam in homine, quae & corpus sua societate vivificet, & semetipsam sua ratione disponat.* Non aliis clarioribus verbis poterat singularitas animae in homine exprimi.

Obiicit Ocham: Caro concupiscit aduersum spiritum, & spiritus aduersus carnem: ergo est diuersa anima, quae elicit operationes carnis ab illa, quae elicit operationes spiritus. Si haec diuersitas operationum diuersa argueret principia, sufficeret diuersas potentias constituit radicatas in eadem anima, sine animarum multiplicitate. Nego has operationes diuersas arguere diuersa principia vitalia, & affirmo has diuersas concupiscentias oriri ab eadem anima. Concupiscentia carnis seu actus appetitus sensitivi, qui feruntur in obiecta delectabilia, quae ut plurimum sunt contra rectam rationem, nascuntur ab anima inclinata ad illum per sensationem externam, quae percipit obiectum delectabile, quod primo tetigit sensus externus, quo allicitur appetitus, & illi blanditur sensus internus, ut in illud obiectum feratur. Eademque anima praeventa cognitione spirituali, & auxiliis diuinae gratiae fertur appetitu rationali, in obiecta rationi conformia, quae ut plurimum sunt opposita illis, in quae ferebatur sensitivus appetitus ex vi sensationum, quae delectabilitatem obiecti proponebant. Insuper hos motus appetitus sensitivi, & rationalis provenire ab eodem principio probatur, quia si in obiecta diuersa ferantur, alter ab altero retardatur, si vero in obiecto consentiant, uterque sit facilius & promptius. Concludo ex his in compositis, quae de facto dantur, dari vnicam formam simplicem cum qua simul cum materia adequatè totum constituitur, & nullo probabili fundamento posse multiplicitem formarum substantialium inadequatarum in eodem assignari composito.

§. IV.

An possit dari compositum cui naturaliter duplex forma contingat.

18 **H**aeo semper in his quaestionibus, quae de possibili, & de potentia Dei absoluta procedunt, in quibus ut plurimum vix apparet principium aliquod ex quo possumus certam conclusionem deducere. Non disputo an possit materia duplicem recipere formam quamlibet ex se adequatam ad suum totum componendum, cum quibus duo tota adequata constituit, distincta: tamen inadequatè tantum, quia una est vtrique communis materia, sed an idem totum possit consistere duplici forma in-

Franc. de Cuiedo, Philosoph. Tom. 1.

adequatà, quarum quaelibet seorsim sumpta non possit totum adequatum constituit, vtrique tamen illud constituit per unionem ad eandem indiuisibilem materiam.

Possunt haec formae ordinatae ad constituendum idem compositum cum eadem materia constitui inuicem inter se connexae, ita ut una non possit saltem naturaliter separari ab alia, ita tamen, ut neutra supponat alteram prius informantem materiam, neque ab illa oriatur, sed vtrique simul materiam respiciant, absque villo prioritatis ordine inter vtriusque informationem. Haec mutua formarum connexio potest oriri ex eo, quod vtrique indiuisibiliter sit principium earundem operationum, ita ut neutra aliquid producat in composito sine alterius consortio, neque detur aliqua operatio, seu aliqua passio, quae indiuisibiliter non procedat ab vtriusque. Si hac ratione duplex haec inadequata forma constituitur, existimo absque vlla difficultate posse defendi, non enim repugnat dari duo principia inadequata earundem passionum, & operationum, neque potest excogitari ratio propter quam haec duo principia non possint esse partes formales compositi, quarum neutra possit dici forma adequata, quia nullam passionem adequatè producit, neque est principium adequatum alicuius operationis exercitae in composito.

Alio modo poterunt excogitari haec formae inter se connexae, & neutra supponens alteram priorem naturā, quaelibet tamen habens principium distinctarum operationum, quarum operationes productae ab vtriusque forma dicuntur operationes adequatae compositi constituti per vtramque formam, & operationes cuiuscumque formae seorsim sumptae inadequatae dicuntur respectu compositi. In his formis inadequatis sic constitutis primum mihi difficile est, ex quo capite possent inter se illam connexionem habere, siquidè illarum quaelibet posset esse principium suarum operationum absque villo alterius concursu, & neutra supponeret informationem alterius, neque altera indigeret ad aliquam operationem. Dices, formas has mutuo esse sibi condiciones comitantes ad existendum. Contra: haec formae non sunt extrema relatiua praedicamentalia, quorum vnum non potest esse sine alio, neque sunt sibi inuicem modi? ergo nullum est caput, ex quo talem mutuam dependentiam in se habeant. Secundò mihi difficile est his admissis formis, cur illarum quaelibet non possit dici forma adequata constituens compositum adequatum, inseparabile ab alio adequato composito, quod cum eadem materiā alia forma constitueret, cum enim quaelibet forma sit principium operationum distinctarum, operationes illae dici possent adequatae compositi constituti per illam formam, & aliae operationes orire ab alia forma essent similiter operationes adequatae aliis compositi constituti per aliam formam. Neque ex eo quod eandem materiam respiciant inadequata dici debent, quia adequatio formarum non ex materia, sed ex ipsis formis desumenda est, neque repugnat duae formae adequatè respicientes eandem numero materiam, neque duo tota inadequatè distincta, quorum materia eadem esse debeat propter connexionem formarum. Quod si dicatur duo inter se non posse connecti, neque eandem exigere materiam, mihi facile persuadeo, quia difficile excogitatur talis connexio inter duas formas, quarum quaelibet est adequatum principium diuersarum operationum, ut supra expendebam, hac tamen admissa formarum connexione, facile connexio totorum percipitur, quae tantum datur ratione formarum, neque aliquid aliud importat totorum connexio praeter connexionem formarum in ordine ad eandem materiam.

Denique quis poterat has formas meditari cum subordinatione vnius ad aliam, ita ut vnius informatio supponeret alterius informationem? Hac ratione non potest vtrique esse forma substantialis. Ratio à priori est: forma substantialis debet esse actus primus subiecti, & id, à quo primo dimanant operationes: ergo forma illa, quae supponit alium actum primum in subiecto non potest esse substantialis: ergo si forma illa, quae supponitur ex parte subiecti prior altera sit substantialis, posterior adueniens non erit substantialis, neque primus actus, sed secundus, ac proinde accidentalis. Deinde forma substantialis, quae prior supponitur ex parte subiecti connexionem habet cum posteriori: ergo posterior oritur à priori, quam supponit: ergo prior est radix posterioris, & omnium operationum, quae ab vtriusque oriuntur, & non posterior, quae tantum se

O 3 habebit

habetur ut complementum prioris, & potentia illius, & non poterit esse prima radix omnium operationum, quæ sunt in composito, cum potius ipsa sit radicata in alia forma. Non ultra progredior, nullum enim principium solidum inuenio, in quo firmiter pedem figere possim.

PUNCTUM III.

Essentia forma metaphysicè sumpta explicatur.

I Difficultatem penè exhausti Controversæ. 2. Punct. 3. ubi conceptum quidditativum materiæ ut distinctæ à forma explicui: & dum rationem assignavi propter quam materia à forma distinguitur, simul explicavi rationem specialem formæ, propter quam differt à materia. Rationalis forma materiæ unitur, & ex illa non educitur, neque dependet secundum suam existentiam, postquam semel est creata; reliquæ formæ materiales, ut tradam Puncto sequenti, non tantum materiæ uniuntur, sed etiam educuntur ex illa; itaque sunt unibiles, & educibiles, & utraque potentia per suammet entitatem illis convenit, quia nulla forma terminat unionem ad materiam, neque educationem ex illa mediâ aliâ entitate, sed per se ipsam. Inquiri modò in quo consistat conceptus quidditativus formæ substantialis proptè abstractit ab hac, & illa forma in particulari, & convenit omnibus formis substantialibus, etiam possibilebus.

2 Non esse de ratione formæ esse educibile extra disputationem esto. Quia anima rationalis educibilis non est, & tamen habet propriam rationem formæ, ut definitum est in Concil. Viennensi sub Clem. V. in Clement. unica, §. Porro, de summa Trinit. Formam substantialem actum potentie sæpè appellat Philosophus, & animam quatenus forma est per actum definit lib. 2. de Anima: *Anima est actus corporis*, &c. existimant multi formam dici actum, quia per illam determinatur indifferentia materiæ ad hoc, vel illud totum componendum; ego verò differentiam hanc à conceptu quidditativo materiæ relegavi Controversæ. 2. Punct. 3. ac proinde non possum determinationem hanc ex parte formæ inter illius quidditativos conceptus annumerare. Formam per proprios, & quidditativos conceptus sic definio: *Substantia incompleta, quæ per modum perfectientis componit totum*. Alio modo, *pars essentialis compositi, quæ terminat unionem ad aliam partem perfectibilem per modum perfectientis*. Ratio partis essentialis, seu substantiæ incompletæ aptæ totum componere, communis est materiæ, & formæ; differt forma à materia per rationem perfectientis, seu perfectionis quæ habet respectu materiæ. Definitionem hanc valde consonam esse existimo, his quæ Aristoteles de forma semper docuit, ubique enim illam actum appellat, & hanc rationem actus perfectionem vocat, ita expressè lib. 2. de anima cap. 1. text. 2. *est autem materia (verba sunt Philosophi) quædam potentia, forma verò actus, atque perfectio materiæ*. En conceptum quidditativum formæ explicat Aristoteles per rationem actus, atque perfectionis, quam non distinguit, quia actus quatenus est potentie actus, illius est perfectio. Neque desiderabis explicationem rationis perfectionis in qua constitui ultimam formæ differentiam, si attentè legeris Punctum tertium citatum, ubi abundè satis explicui, quomodo materia sit perfectibilis per formam, & quomodo forma sit perfectio materiæ: & iterum hæc formæ definitio, quæ cum præcedentibus coincidit, explicabit: *pars essentialis compositi, quæ perfectiora prædicata alteri compari in toto communicat, quam ipsa ab illa in eodem toto percipiat*. Differunt formæ inter se per diversas actiones, & diversa prædicata, quibus materiam perficiunt, quatenus hæc terminant unionem ad materiam, mediâ quæ materiam perficiunt, & per diversum modum terminandi, quem habent ex parte sui secundum diversa prædicata terminatiua unionis, & à posteriori per diversas uniones, quas terminant. Neque ad conceptum quidditativum huius formæ in specie pertinet ordo ad educationem ex potentia materiæ, sicuti neque ad conceptum quidditativum attingit potentia, quam habet materia, ut ex illa educantur formæ, sed tantum terminabilitatem unionis, quæ dicit ex parte extremi omnia prædicata materiæ, quatenus possunt unionem terminare connotando tantum unionem, non verò alias actiones, seu passionem, quas possunt terminare.

Inquiri solet; an forma sit tota quidditas compositi. Respondeo negativè, quia compositum præter formam includit materiam tanquam partem essentialem, ex qua componitur, quæ deficiente, totum deficit. Occurrunt nonnulli: homo vi caloris amittit partes materiæ, quas modò habet, & acquirit alias: ergo potest contingere, ut post multos annos nihil remaneat materiæ in homine ex ea, quæ modò est: ergo si tota quidditas compositi non sit est in forma, sed etiam in materia non erit idem homo quadraginta annis elapsis, qui fuerat ante illos. Idem argumentum fieri potest in reliquis viventibus præter hominem, etiam de formis ipsis, quarum diversæ partes acquiruntur, & deperduntur per diminutionem, & augmentationem viventium. Respondeo hominem plures materiæ partes amittere, & plures acquirere, an verò possit perdere omnes, quas acquisivit in prima generatione incertum est, sed quidquid sit de hoc. Dico esse eundem hominem secundum animam, & secundum se totum dici eundem moraliter, etiam si physice indivisibiliter non sit idem, sicut dicitur idem fluvius hodie, ac heri, etiam si omnes partes aquæ, quas heri habebat, iam amiserit, & alias acquisivit.

Obiicies: Fidem docere resurrecturum esse eundem hominem, & non esse eundem simpliciter, qui non est idem physice, sed tantum moraliter. Respondeo resurrecturum eundem hominem physice secundum formam, & secundum plures materiæ partes, non verò resurrecturum secundum omnes partes materiæ, quas habuit, si enim omnes quas vi caloris naturalis amisit, iterum resumeret, ad instar monstri gigantis quilibet resurgeret. Resurget ergo secundum illas partes, quas habebat in instanti mortis, quod si oportuerit sub pluribus resurgere, illis adiungentur aliæ, ex his, quas vi caloris amiserat; quod si contingat duplicem hominem sub eadem parte materiæ animam agere, Deus eodem modo, vel ex alia materia in altero defectum illius partis supplebit.

Desiderabis scire conceptum communem formæ substantialis, & accidentalis. Respondeo utramque esse perfectionem subiecti, forma substantialis modo supra explicata, accidentalis formæ, quia ex sua natura ordinatur ad perficiendum subiectum, quod afficit, & ex se ad subiectum perficiendum ordinatur, & est propter illud, quapropter illius perfectio iure dicitur, etiam si secundum suam entitatem accidentalis forma imperfectior sit substantiali subiecto.

Ostendi Controversia 2. Punct. 3. in fine quàm jejune Recentior Complutensis intenderit impugnare conceptum quidditativum materiæ primæ à me designatum, hic etiam contra conceptum formæ à me præscriptum nonnulla adducit, sed meliora, quod pauciora. Asserit me, suppresso nomine impugnare sententiam S. Thomæ, dum rejicio sententiam asserentem conceptum quidditativum formæ consistere, in eo, quod determinet essentialitatem materiæ. Sed probat ex eo quòd S. Thomas hæc habet 1. p. q. 44. art. 1. Sed considerandum, quòd materia per formam contrahitur ad determinatam speciem, sicuti substantia alicuius speciei per accidens & adveniens contrahitur ad terminatum modum essendi, ut homo contrahitur per album. Hæc S. Thomas, quæ ego libentissimè admitto. Sed in his neque à longè insinuat in hac ratione determinandi consistere conceptum quidditativum formæ, neque id omni formæ possibili respectu omnium materialium possibile, sed his speciebus formarum existentiam respectu huius materiæ.

Accusat me Recentior iste pro libito fingere definitionem. Obiectio ista aditum præcludit omnibus questionibus, in quibus agitur de essentiis, & quidditatibus, & conceptibus formalibus rerum, quis enim conceptum formalem essentialis alicuius rei designat illam definit, non enim clarior explicatio alicuius dari potest, quàm expositio conceptus sui formalis. Respondeo igitur me in hac questione explicasse definitionem formæ à Philosopho traditam clarioribus, & expressioribus conceptibus formalibus exprimentibus eundem conceptum obiectum.

Concedit hic Author formam dicere conceptum perficiendi materiam, dicit tamen hoc nasci ex eo quòd sit actus dans speciem. Si inter hoc, quod est perficere materiam, & dare speciem formalis distinctio invenienda esset, prius deberet in forma agnoscere hoc quod est materiam perficere, quàm dare speciem, quia forma non dat speciem

speciem materiæ; hoc enim eiusdem speciei est in quolibet composito, sed totum, quod competit, idem enim constituit hoc totum, quia materiā informat, & actuat, quia hoc totum constituit.

PUNCTUM IV.

Quomodo formæ præexistant in potentia materiæ.

Certum est rationalem animum non educi, sed creari, & independentem à materia conservari: de reliquis formis materialibus procedit difficultas, quomodo educantur ex potentia materiæ, & quam dependentiam habeant ab illa.

Ex antiquis Philosophis multi percipere non valebant, quomodo formæ possent præexistere in potentia materiæ, & educi ex illa, si in eadem non præcessissent, quia ex nihilo, nihil fit: ergo si nihil formæ præcessit, fit ex nihilo, quod fieri nequit ab agenti naturali. Propter rationem aliqui quos videre potes apud Suarez in Metaphysic. disput. 15. sect. 2. negarunt dari formas substantiales. Contra hos idem argumentum fit de formis accidentalibus, quod illi de substantialibus consuebant. Ideo illos refert Suarez asserentes nullam dari mutationem in rebus substantialibus, sed omnes formas esse sub materia à creatione illius, & tunc existere hominem, quando in materia apparet forma hominis, & tunc equum quando in eadem materia apparet equi formam, & sic de aliis. Non explicarunt auctores huius delirii, quid sit apparere modo in materia, in qua sunt omnes formæ, formam hominis, & non apparere aliam formam, neque aliquis explicabit, quomodo incipiat apparere forma, quæ antea erat occulta: quis eam vocat, ut nunc appareat, vel quis formam equi excitat, ut reliquis dormientibus, ipsa vigilet, & equum constituat? Ultra esse equum nihil aliud est quam esse materiā, formam, & unionem equi, sed totum hoc est ante apparentiam, quia per hanc nihil equi incipit esse, sed tantum apparere secundum hos Philosophos: ergo quacumque materia existente, in qua sunt omnes formæ, existunt omnia composita, etiam si non appareant, quia apparentia non est ratio formalis, neque pars essentialis compositi. Rursus de eadem apparentia idem argumentum conficio, quod Philosophi de formis. Apparentia, quæ incipit, quando incipit existere compositum, cuius forma apparet, non præcesserat saltem sub illo modo: ergo incipit esse: ergo tunc primò producit: ergo ex nihilo, quia nihil illius præcesserat.

Alij ex eisdem Philosophis apud eundem Suarez ibidem asserere formas præcessisse in materia non secundum se totas, sed secundum aliquod sui, & hac ratione formas non fieri ex nihilo sed ex parte ipsarum in materia præcedenti. Contra hos sic fit argumentum. Pars illa formæ, quæ denuo fit distinguitur realiter ab illa, quæ in materia præexistebat: ergo fit ex nihilo, etiam si pars alia præcesserit. Alij apud eundem Suarez num. 9. minus aberrarunt asserentes omnes formas materiales creari, contra quos agam, dum communem, veramque sententiam statuam.

Horum omnium Philosophorum unum est fundamentum, videlicet non posse generari formas, quæ in materia non præcesserunt, quia ex nihilo nihil fit. Et ita omnibus eadem ratione satisfacio. Creatio est productio rei ex nihilo, hoc est, ex nullo præsupposito subiecto: nō ex nihilo rei creatæ, quod latius explicabo Contr. 13. Punct. 1. ac proinde etiam si formæ substantiales fiant ex nihilo sui seu ex nihilo suarum entitatum præsupposito, nō creantur si fiant ex præsupposito subiecto, ex cuius potentia educantur tanquam ex causa materiali, in qua non formaliter, sed eminenter tanquam effectus in causa, & virtute continebantur.

Agendum est modò cum aliquibus recentioribus, qui rem satis probasse putant, dum evidenti demonstratione non convincuntur, quasi difficile esset ingenioso viro in resursum Philosophicā, in qua si neget principia ab omnibus Philosophis admittā, non heresis argui poterit, quodcumque delirium ita defendere, ut nunquam ad angustias conclusionis demonstratiæ ex principis concessis trahi possit. Horum aliqui cum non auderent asserere

formas materiales creari, defendunt nullā ratione oppositum posse probari.

Longè difficilior est opinatus Arriaga, qui docet formas materiales dependere à materia, & non creari, & licet hanc negatiuam partem non expresse tradat dum agit de dependentia formarum materialium à materia, eam aperte defendit, dum disputat. 3. sectione 4. postquam probauerat formas materiales dependere à materia, docet num. 33. formas calorū potuisse à Deo creari, verum cum illæ omnes dependentes sint à materia fundamentum non esse, ut dicamus intercessisse hoc miraculum in productione formæ cœlestis. His admittis ab Arriaga cum communi sententia, aliam questionem mouet disputat. 8. sectione 1. num. 3. an videlicet causa materialis sit vera causa, & exerceat aliquam causalitatem cum forma: cui questionis affirmatiue respondet, asserit tamen ita concludere propter communem sententiam, licet videatur, absque ullo fundamento nos finxisse hoc genus causæ materialis, quia ex eo quod forma dependeat à materia non inferitur materiā esse causam illius, quia anima rationalis in primo instanti creationis dependet à materia, & tamen rationalis anima materia causa non est. Clarius suam sententiam explicat Arriaga ibidem dum pro illa refert Patrem Lessium lib. 3. de summo bono, à num. 49. satis fuse questionem hanc disputantem, ubi in negantem partem inclinat, illamque defendit ratione ab Arriaga adductā: sine hac dependentia, & vero influxu formarum à subiecto potest assignari distinctio inter generationem, & creationem, ex eo præcisè quod illa res creari dicatur, quæ neque ut à conditione, neque alio modo dependeat à subiecto, & illa generari dicatur, quæ à subiecto saltem ut à conditione, vel à posteriori dependet, etiam si ab eo non causetur: ergo nulla est necessitas confingendi veram causalitatem inter formam genitam, & subiectum. Eisdem ferè verbis Lessium refert Arriaga pro sua sententia quam postea infirmare intendit. Ex quo inferitur Arriagam certò existimasse formas materiales non creari, dubitare tamen an dependeant à subiecto per veram dependentiam, & causalitatem.

Contra sententiam Lessij & Arriagæ sic argumentor: **V**t res creetur secundum hos auctores, necessum est, ut non dependeat in fieri, aut in conservari ab alia, etiam à posteriori, & tanquam conditione: sed anima rationalis, ut fatetur Arriaga, dependet in fieri à materia tanquam à conditione, sine qua non produceretur: ergo generatur, & non creatur. Deinde ipse Arriaga fatetur modum unionis posse creari, & tamen non potest adhuc de potentia Dei absoluta non dependere ab utroque extremo: ergo ad creationem non requiritur omnimoda independentia ab alio, nec sufficit quacumque independentia, sed requiritur independentia tanquam à subiecto, seu causa materiali. Aliud exemplum quod adducit Arriaga de actione creatura dependenti à termino, à quo non causatur, probat posse esse dependentiam immediatam sine causalitate interiectā, quod libenter in actione concedo, non tamen probat hanc dependentiam sufficere ad generationem, quia in sententia asserente, Angelum non esse causam materiale actionis, per quam producit: dicendum est ipsam actionem per se ipsam creari, & nullo modo generari. Rursus communis sententia docet materiā primam dependere à posteriori à forma, & non posse esse naturaliter sine illa, nihilominus materia prima in omnium sententia creatur; ergo ad creationem nihil refert dependentia à posteriori. Video hac ratione non virgeri Arriagam quia ipse defendit dependentiam materiæ à forma propter communem sententiam, & eodem modo asserit materiā esse veram causam, & requiri verum influxum causæ materialis ad generationem, licet ipse propendeat in sententiam negantem hunc influxum, sicuti in sententiam negantem dependentiam materiæ à forma. Cæterum rationes suprā factas existimo manifestè convincere non sufficere ad generationem quamcumque dependentiam, sed requiri dependentiam per veram causalitatem materialis causæ, & non requiri terminum creatum esse independentem ab omni alio, ut cum Lessio docet Arriaga, quapropter si nulla esset ratio, quæ probaret materiā primam esse veram causam, nulla nobis suppetere ad probandum formas materiales non creari, imò consequentiam hanc legitimam

timam esse censet: Hæc entitas non dependet à causa materiali per verum influxum: ergo creatur.

Audiui recentiores qui Lessij sententiam defendebant, afferentes ad generationem non requiri verum influxum subiecti in terminum productum, neque veram, & propriam causalitatem, non tamen sufficere quancumque dependentiam, sed dependentiam ab aliquo tanquam à subiecto, & causâ materiali licet improprie causâ, & hæc ratione posse creari modum vnionis, quia licet non possit non dependere à materia, quam vnit, potest non dependere ab illa tanquam à subiecto: eademque ratione creati animi rationalem, etsi in primo instanti creationis dependeat à materia, sine qua non produceretur, quia non dependet ab illa tanquam à subiecto, & à causâ materiali: Contra: dependentia, quam tu assignas generationis modi vnionis tanquam à subiecto tantum dicit, non posse esse illam actionem, quam tu vocas generationem sine subiecto, sed idem habebit quancumque alia actio, quam creationem eiusdem vnionis appelles: ergo creatio & generatio vnionis ex nullo capite poterunt differre, si enim dicas generationem modi vnionis dependere à materia tanquam à vera causâ, & creationem modi vnionis tantum dependere à materia, quatenus illius terminus est modus talis materiæ: Virgeo: terminum genitum dependere ab hac entitate tanquam à subiecto, & causâ materiali, in tua sententia nullam dicit causalitatem inter subiectum, & terminum productum, sed tantum hunc non posse sine illo, sed hoc est commune omni dependentiæ: ergo non potest explicari seclusâ verâ dependentiâ, quid sit dependere ab aliquo tanquam à subiecto, seu à causâ materiali modo requirito ad generationem, neque potest mente concipi quid sit dependere ab aliquo tanquam à subiecto materiali, & quid dependere ab eadem entitate, non tanquam à causâ materiali, si dependentiam effectus à causâ materiali non constituimus in vero influxu, & propriissima causalitate.

Venio ad sententiam recentiorum afferentium probari non posse formas materiales educi ex materia, & non creari. Certum est apud omnes formas materiales dependere à materia, quod prædicti recentiores admittunt, & probo ex differentia inter animam rationalem, & reliquas formas viuientium, hæ enim sunt corruptibiles, illa verò incorruptibilis, & æternasi verò formæ materiales à materia non dependerent, etiamsi à subiecto expellerentur, permanerent separatæ sicut permansit rationalis anima, sed eo ipso quod expellantur corumpuntur, ergo dependebant à subiecto. Minorem probo. Si formæ materiales absque subiecto conseruarentur, producerent suas passiones, & plures effectus, quos sensibus possemus percipere, videlicet calorem, & lucem: sed hæc accidentia non producantur nisi quando forma est in subiecto, ergo non conseruantur extra illud. Neque potest dici formam ignis separatam à subiecto non posse producere calorem, & lucem, quia si secundum suum esse non dependeret à subiecto, neque secundum suas operationes dependeret, sicut anima rationalis, quæ intelligit, & discit, & producit suas passiones, seu conseruat suas passiones in statu separationis. Ex hac dependentia, quam habent formæ materiales à subiecto, infero ego esse dependentiam tanquam à vera causâ materiali per veram generationem. Negant consequentiam recentiores afferentes hanc dependentiam non esse tanquam à vera causâ, sed tanquam à conditione: Contra quos sic insurgo: Forma materialis dependet à materia non à posteriori, non tanquam modus à re, non tanquam à conditione: ergo tanquam à vera causâ: non dependere à posteriori tanquam ab effectu patet, quia materia non est effectus formæ; non dependere tanquam modus à re certum est, quia forma saltem de potentia Dei absoluta potest separari à materia: non dependere tanquam à conditione sic probo. Materia prima non est conditio disponens ad existentiam formæ, vt patet, non est conditio disponens ad passum, quia approximatō est præsentia distincta à materiâ; deinde, quia in his, in quibus requiritur approximatō, aliunde supponitur dependentia, neque modus alicuius conditionis apparet, quem possit exhibere materia in productione formæ materialis: ergo non dependet forma materialis à subiecto, tanquam à conditione: ergo non restat alia dependentia, quam habeat talis forma à subiecto, nisi dependentia effectus à causâ per veram causalitatem.

Dices formas materiales dependere à materia eo modo quo de facto materia dependet in conseruari à forma, si-

ne qua naturaliter existere non potest. Præclufi hoc effugium Controverf. 2. Punct. 7. vbi probavi materiam primam non dependere à forma adhuc à posteriori. Respondeo tamen in gratiam communis sententiæ materiam primam dependere à forma à posteriori tanquam ab effectu, & tanquam potentia ab actu, & perfectibile à perficienti, quam dependentiam non potest habere forma à materia, quia materia non est effectus formæ, neque est de ratione actus informantis dependere à potentia, neque huiusmodi perfectionis dependere à perfectibili, vt patet in animo rationali, quia est actus materiæ, illiusque perfectio, & tamen à materia non dependet.

Affero cum communis sententia rectè concludi ex dependentia formarum materialium tanquam à materia dependere ab hac tanquam à causâ materiali, quia non inuenitur aliud genus causæ, neque alius modus dependendi, quo possit dependere. Quod si cum Recentioribus putas posse inueniri aliam dependentiam à subiecto, non tanquam à vera causâ, quam censet Arriaga sufficere ad generationem, & hi recentiores non sufficere, sed rectè cum creatione componi, assigna, quæ sit huius dependentiæ natura, atque conditio, quod si nullus talem hunc vsque modum agnouit, præter hos paucos, qui illum defendendum suscepere, neque libido illum defendendi, non solum illius naturam nondum est assequuta, verum etiam neque illi nomen inuenit, cur dicendum est formas materiales dependere à subiecto, & non aliquo modo ex his, quos huc vsque Philosophia nouit, & recurrendum ad hunc modum incongnitum, absque vlla ratione, & fundamento? Adde hunc dicendi modum non adeo consonum esse ad defendendam animi rationalis immortalitatem, quia si semel conceditur formas materiales creari, & esse corruptibiles, saltem destruius fundamentum desumptum ex creatione animæ ad illius immortalitatem inferendam, & nonnulla aperitur via, vt quis ex immortalitate animæ rationalis intendat probare reliquas brutorum animas esse immortales, quia creantur sicuti rationalis animæ, vel vt ex natura corruptibili reliquarum formarum materialium non obstat creatione ipsarum inferat aliquis, animam rationalem esse corruptibilem, quæ illationes etiamsi bonæ non sint nonnullas habent speciem, quapropter vt illas fugiamus consultius nobis est afferere tanquam certum omnes formas materiales generari, & dependere à materia tanquam à vera causâ, & vnâ animam rationalem creari, & esse omnino independentem à subiecto quod informat.

Obiicies fieri non posse materiam primam adeo imperfectam in se eminenter continere, tanquam in vera causâ formas omnes materiales, longè perfectiores illâ: ergo non possunt ab illa tanquam à vera causâ dependere. Antecedens probatur: principium effectiui adæquatū debet esse saltem æquè perfectum cum effectu: ergo principium passionum, si verè, & proprie principium esset, deberet eandem perfectionis proportionem seruare cum effectu. Hoc argumentum æquè fauet sententiæ in quam propendet Arriaga & sententiæ recentiorum, quam retuli, vtraque enim negat subiecto veram causalitatem respectu formarum, licet sententia, cui patrocinatur Arriaga asserat deficiente verâ causalitate ex parte materiæ in formas, has verè generari ratione dependentiæ improprie, & recentiorum sententia sine propria dependentia generationem non agnoscat, & consequenter dicat, formas materiales dependentes à materia non per veram causalitatem propriæ causæ, non generari, sed creari. Respondeo negando primum antecedens. Ad confirmationem dico principium effectiui debere habere æqualem perfectionem cum effectu, passionum verò non debere hanc perfectionem æqualitatem retinere. Ratio disparitatis inter vtrumque sumenda est ex diverso modo, quem habent hæc principia influendi in effectus, actuum enim longè excellentiori modo influit quam passionum. hoc enim tantum influit recipiendo effectum, ab illo autem totus exit effectus.

CONTROVERSIA IV.

De vnione inter materiam, & formam.

Ad perfectam cognitionem extremorum cognitionis inter ipsa media, quæ totum constituunt, maximopere spectat, quæ se tenet ex parte vtriusque